

### Sanctitas vel sanctus A

Nullus sanctus et iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem.

Augustinus de diffinitione ecclesie dogmatum.

### Sanctitas vel sanctus B

Ille iuste et sancte vivit qui rerum integer estimato est; ipse est qui ordinatum habet caritatem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligit quod minus est diligendum, aut minus diligit quod amplius est diligendum, aut minus aut amplius quod eque diligendum est.

Augustinus in libro de doctrina Christiana.

### Sanctitas vel sanctus C

Ista sunt que sanctitatis causa servanda sunt, pudicitia corporis, castitas anime et veritas doctrine.

Augustinus ibidem.

### Sanctitas vel sanctus D

Quanto est quisque sanctior et desiderii sancti plenior, tanto est eius in orando fletus uberior.

Augustinus in libro de civitate Dei.

### Sanctitas vel sanctus E

Dicamus ergo et sanctorum invidiam, ut imitemur pacienciam et cognoscamus illos non nature prestancioris fuisse, sed observancie maioris nec vicia nescisse sed emendasse.

Ambrosius in libro de Ioseph.

### Sanctitas vel sanctus F

Nec rusticus nec tantum simplex frater ideo se sanctum putet, si nichil noverit, nec peritus et eloquens in lingua estimet sanctitatem, multoque melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere quam eloquenciam peccatricem.

Hieronymus in epistola ad Nepocianum.

### Sanctitas vel sanctus G

Non Hierosolymis fuisse sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est, quia et Hierosolymis et de Britannia equaliter patet aula celestis.

Hieronymus in epistola ad Paulinum.

### Sanctitas vel sanctus H

Ab omni nequicia mundum necesse est esse et dolo qui cupit regnare cum Christo. Si vis habere partem cum Christo, Christi exemplo tibi vivendum est. Si sanctorum cupis habere consortium, a malicie et nequicie cogitatu pectus emunda, quia non nisi sanctos et iustos, simplices, ignoscentes et puros celestis aula suscipiet.

Hieronymus in quadam epistola.

### Sanctitas vel sanctus I

Sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esseprehendunt quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in seipsis latebat inveniunt.

Gregorius in moralia.

### Sanctitas vel sanctus K

Sancti viri nec elacione sunt liberi nec ex timore submissi, sed cum rectitudo eos ad libertatem non erigit, consideracio infirmitatis ipsa in humilitate custodit.

Gregorius ibidem.

## Sanctitas vel sanctus L

Tria sunt que in festivitibus sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius quia qui potens in terra potentior est in celis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viveret misertus est peccatoribus et oravit pro eis, nunc tanto amplius quanto verius agnoscit miserias nostras orat pro nobis patrem quia beata illa patria caritatem eius non mutavit sed augmentavit, immo potius movit sibi viscera misericordie cum ante fontem misericordie assistit. Debemus etiam vitam eius attendere quia quamdiu in terris visus est et cum hominibus conversatus est, non declinavit neque ad dextram neque ad sinistram, sed viam regiam tenuit donec veniret ad illum qui dicit: Ego sum via veritas et via. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus quia homo ille similis nobis fuit passibilis ex eodem luto formatus ex quo et nos. Quid ergo est quod non solum difficile sed impossibile credimus ut faciamus opera que fecit ut sequamur vestigia eius.

Bernardus sermone quodam.

## Sanctitas vel sanctus M

In sanctorum festivitibus et gaudere et confundi debemus; gaudere quia patronos premisimus, confundi quia eos sequi non possumus.

Bernardus ibidem.

## Sanctitas vel sanctus N

Fidelis quippe sermo et omni acceptione dignus ut quos solemniter veneratione prosequimur, etiam consimili conversatione sequamur. Quos beatissimos predicamus ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, quorum delectamur preconiiis eorum sublevemur patrociniiis.

Bernardus ibidem.

## Sanctitas vel sanctus O

Summopere nobis desideranda sunt suffragia sanctorum ut quod possibilitas nostra non obtinet eorum intercessione donetur.

Bernardus ibidem.

### Sanctitas vel sanctus P

Sanctorum virorum est non inquirere mansionem ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores; nec gaudent ubi epule large sunt, sed ubi sanctitas floret.

Chrysostomus super Mattheum 24. capitulo.

### Sanctitas vel sanctus Q

Que est ista iusticia, sanctos colere et sanctitatem contemnere? Primus gradus pietas est, sanctitatem diligere denique sanctos quia non sancti ante sanctitatem fuerunt sed sanctitas eos sine causa, ergo iustos honorat qui iusticiam spernit.

Chrysostomus super Mattheum 24. capitulo.

### Sanctitas vel sanctus R

Qui sanctorum merita religiosa caritate miratur, quicumque iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iusticiam imitetur quoniam quem delectat alicuius sancti meritum delectare debet par circa cultum Dei obsequium quare aut imitari debet, si laudat, aut laudare non debet, si imitari decertat, ut qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vite sanctitate reddatur.

Chrysostomus sermone de confessoribus.

### Sanctitas vel sanctus S

Qui peccat de sanctis exit, non enim in locis sancta querenda sunt sed in actibus et vite moribus, que si secundum Deum sint et secundum preceptum Dei habeantur, eciam si in domo sis, eciam si in foro. Et quid dico in foro? Eciam si in theatro inveniaris verbo Dei deserviens in sanctis te esse non dubites.

Origenes homelia 42. super illud Levitici: De sanctis non exhibit et cetera.

### Sanctitas vel sanctus T

Iohannes: virtutum schola, magisterium vite, sanctitatis forma, norma iusticie, virginitatis speculum, pudicie titulus, castitatis exemplum, penitencie via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, ewangelii sacio, apostolorum vox, silencium prophetarum, lucerna mundi, officium preconis, preco iudicis, Domini testis, tocius medius trinitatis.

Chrysostomus in sermone de Iohanne Baptista sermone 8.

### Sanctitas vel sanctus U

Plena laudacio est, que genus mores officium factum iudiciumque comprehendit, genus in maioribus, mores in equitate, officium in sacerdocio, factum in mandato, in iustificacione iudicium.

Beda super Lucam libro 1. tractans illud: Erant ambo iusti ante Deum.

### Sanctitas vel sanctus X

Nascitur Iohannes maior homine, par angelus tuba celi, preco Christi, archanum Patris, Filii nuncius, signifer superni regis, peccatorum venia Iudeorum correctio, vocacionum et, ut proprie dicam, legis et gratie fibula.

Petrus Ravenniensis in sermone de Iohanne baptista.

### Sanctitas vel sanctus Y

Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, caritatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat, per caritatem Dei sevientibus Iudeis non cessit, per caritatem proximi pro lapidantibus intercessit, per caritatem arguebat errantes ut corrigerentur, per caritatem pro lapidantibus orabat ne punirentur.

Fulgencius in sermone de sancto Stephano.

### Sanctitas vel sanctus Z

Augustinus episcopus acer ingenio, suavis eloquio, secularis litterature peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputacionibus clarus, in omni sua actione compositus, in questionibus solvendis acutus, in convincendis hereticis circumspectus, in expositione fidei nostre catholicus, in explanandis scripturis canonicis cautus, hereticorum omnium maleus fortissimus.

Prosper libro 3. de vita contemplativa.

### Sanctitas vel sanctus AB

O lucerna digne super candelabrum ecclesie posita, que late catholicis urbibus de septiformi ligno pastum, oleo leticie lumen effundens densas licet hereticorum caligines discutis et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas, os enim tuum fustulam aque vive et venam fontis eterni merito dixerim, ac fontem aque vive salientis in vitam eternam, cuius desiderio sitivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit.

Paulinus in epistola ad Eugenium.

### Sanctitas vel sanctus AC

Augustinus tanta scripsit ut diebus ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam, sed nec legere quidem valet.

Isidorus libro 7. ethimologiarum.

### Sanctitas vel sanctus AD

Hieronymus sexmilia librorum Origenis legisse fatetur.

Isidorus ibidem.